

potentius et efficacius suum dominatum exercere in suos captivos, permittente Deo, in peccati vindictam.

(*Obj.* : Ex removente prohibens non sequitur major aut minor effectus naturalis, quam ex natura ipsa sequatur, ut patet in exemplo lapidis sursum detenti; ille enim, remoto prohibente, velocius non movetur, quam si fuisset motus a sola gravitate. Atqui peccatum originale se habet solum ut removens prohibens in ordine ad motus inordinatos voluntatis et appetitus sensitivi, quatenus abstulit justitiam originalem, qua motus inordinati compescerantur. Ergo.)

Resp. Nego min. Nam peccatum originale, præter privationem justitiæ originalis, importat aversionem a Deo ut authore naturali, qualem non importat natura pura. Hæc autem aversio est impedimentum morale boni faciendi. Unde ex hoc argumento, quod præcipuum est sententiæ oppositæ, sicut ex variis textibus S. Thomæ quibus dicit, per peccatum originale « naturam sibi relinqui, » 1^a 2^a, q. 82, a. 4, ad 1, et sublato vinculo justitiæ originalis, unamquamque vim animæ tendere in suum proprium motum, *ibid.*, q. 87, a. 7, o, et similibus : ex his, inquam, solum probatur prima pars conclusionis, nimirum vires naturales ad bonum non minui intrinsece, physice et entitative, non vero non minui moraliter et ex appositione impedimenti in ordine ad bonum prosequendum.)

ARTICULUS IV

Utrum tam Adamo quam angelis fuerit necessaria gratia per se efficax ad perseverandum?

Res hic nobis est cum Jansenio et theologis qui vulgo dicuntur Augustiniani. Hi, quamvis in hoc statu admittant necessitatem gratiæ per se efficax, contendunt tamen, ex Augustino, *libr. de Corrupt. et Grat.*, cap. 10, 11, 12, ea Adamum et angelos non indiguisse ad perseverandum, sed sola gratia indifferenti et versatili pendente a nutu liberi arbitrii, qualem Molinistæ admittunt in præsentis statu. Thomistæ, e contra, propugnant necessitatem gratiæ

efficacis pro utroque statu, cum hoc discrimine, quod in primo statu esset gratia sanitatis, in secundo sit gratia medicinalis, seu, ut dicit Augustinus, illa sit lætior, ista potentior. Et quia tota concertatio est de mente hujus S. Doctoris,

Dico : Juxta S. Augustinum, gratia per se efficax fuit Adamo et angelis necessaria ad perseverandum.

Probatur 1^o ex formalissimis S. Augustini testimoniis. Præcipuum et palmare habetur *libr. XII de Civit. Dei*, c. 9, ubi ex professo S. præsul quærit id quod nunc agimus : unde processerit bona voluntas angelorum, qua, aliis cadentibus, ipsi steterunt. Is est titulus capituli : « An sancti angeli quem habent creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis [illius scilicet volitionis qua perseveraverunt] authorem, per Spiritum sanctum in eis charitate diffusa? »

Quid huic quæstioni respondent aut respondere debent adversarii? Utrosque angelos, bonos et malos, habuisse gratiam versatilem; bonos suo consensu eam effecisse efficacem, malos suo dissensu inefficacem, eaque de causa illos stetisse in accepta justitia, illos cecidisse.

At quam dissite ab Augustino : « Si angeli, inquit S. Doctor, propositæ quæstioni respondens, non potuerunt facere seipsos meliores quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit, profecto et bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent. Et cum id egit voluntas eorum bona, ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum qui summe est converterentur... quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio mansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem?... Isti autem qui, cum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate, quam sola natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono, aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi qui in eadem perstiterunt; aut, si utriusque boni

æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi **AMPLIUS** adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt : sicut etiam in libro quem sequitur iste tractavimus. Confitendum est igitur, cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis. » Quamvis apertissimum sit hoc testimonium pro nostra sententia, ut tamen tota vis ejus magis elucescat, singula perpendo. †

1^o Juxta Augustinum, nulla creatura, neque etiam angelus, potest se facere meliorem quam a Deo facta sit. Atqui, si angeli boni habuissent tantum a Deo auxilium *sine quo non*, seu gratiam versatilem qua potuissent perseverare, a se vero perseverandi voluntatem et actum, nullo potentiori auxilio accepto quod in eis operaretur ut vellent, se fecissent meliores quam Deus eos fecerat : melior est enim ille qui bonum facit, quam qui simpliciter potest ; qui de facto perseverat in accepta justitia, quam qui simpliciter perseverare potest. Ergo, juxta Augustinum, gratia efficax fuit necessaria angelis ad perseverandum.

2^o Quod præcipue in præfato testimonio observo, est quod, cum Augustinus compendio dixisset, Deum bonos angelos meliores effecisse « excitando avidiores, » id postea accuratius explicans, duos modos exponit quibus boni angeli potuerunt a Deo effici meliores : Primo, inquit, quia angeli qui ceciderunt, acceperunt in sua creatione minorem gratiam, consequenter boni majorem ; quo supposito, palam est angelos sanctos factos esse meliores a Deo, non a seipsis. Sed, quia incertum erat Augustino, an revera qui ceciderunt minorem gratiam in sua creatione receperint, et quidem oppositum sit verius, addit quod, si omnes sint creati æqualiter boni, illi qui perseveraverunt « **AMPLIUS** fuerint adjuti, » seu majus auxilium actuale receperint, quo perseveraverunt et meliores aliis effecti. Ergo, juxta Augustinum, angeli sancti, præter auxilium sufficiens omnibus collatum, indigebant altero potentiori et efficaciori quo perseverarent et meliores efficerentur.

3^o Et quod ultimo expendo in præfato Augustini testimonio, est ipsa responsio quam S. Doctor facit quæstioni propositæ. Quæstio erat, ut fert titulus capituli : « An sancti angeli quem habent creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis [id est, bonæ volitionis qua perseveraverunt] authorem, per Spiritum sanctum in eis charitate diffusa ? » Multis præmissis et prælibatis quæ præsertim retulimus, tandem concludens sic respondet quæstioni : « Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum qui datus est eis. » Vides Deum, definiente Augustino, bonam voluntatem operatum esse in angelis per effusionem alicujus novæ charitatis actualis, sicut operatur in sanctis. — Subsumo. Atqui gratia per quam Deus operatur in viris sanctis bonam voluntatem, non est mere sufficiens et versatile, sed per se efficax ; non est auxilium *sine quo*, sed *quo*, ut totis nervis contendunt Jansenius et Augustiniani. Ergo.

Hoc celebri Augustini testimonio in bona luce posito, sequens subjungo. S. Doctor, *Enarrat. in Psal. xxxii*, exponens illud Psalmistæ, 6 : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, et verba hæc allegorice applicans angelis, dicit : « *Sermone Domini cæli* [id est, angeli] *solidati sunt*. Nam non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. . . Non enim habuerunt aliquid ex se, et tamquam supplementum a Domino perceperunt ; *spiritu enim oris ejus*, non pars, sed *omnis virtus eorum*. » Atqui, si non habuerint nisi gratiam versatilem ex liberi arbitrii nutu suspensam, solidamentum et firmitatem a se, saltem ex parte, habuissent, reddendo scilicet gratiam versatilem et indifferentem suo consensu efficacem, supplementumque ex seipsis addidissent, nempe liberum consensum gratiæ indifferenti, ut dicunt adversarii ; quæ tamen omnia negat Augustinus. Ergo.

Probatur 2^o conclusio evertendo fundamentum adversariorum. Si motio per se efficax non esset necessaria in

statu innocentiae, ideo foret, ut volunt adversarii, quia, juxta Augustinum, tota ejus necessitas repetitur ex infirmitate naturae lapsae ad actus supernaturales et meritorios. Atqui falsum est istud assumptum adversariorum. Ergo. — Prob. min. Augustinus repetit necessitatem motionis efficacis, non solum ex infirmitate naturae lapsae, sed etiam ex omnipotentia Dei, ex subordinatione et dependentia omnis creaturae a Deo in agendo. Ergo. — Prob. ant. 1º Imprimis S. Doctor, lib. III de *Trinit.*, cap. 4, n. 9, statuit tamquam principium constans et universale, quod « divina voluntas sit prima et summa causa omnium corporalium et spiritualium motionum, » quae verba profert ex Augustino S. Prosper *sententia* 58.

2º Lib. V de *Genes. ad litt.*, c. 20, n. 41 : « Deus, inquit, movet occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum angeli jussa perficiunt, dum circumveunt sidera, dum alternant venti..., dum vireta pululant..., explicat saecula, quae illi, cum primum condita sunt, tamquam implicita¹ indiderat; quae tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit provido motu administrare cessaret. » Et in fine cap. 23, n. 46 : « Ea quae omnia simul fecit, administratorio actu gubernans et movens, sine cessatione operatur. » Ibi nulla mentio aut quaestio de infirmitate naturae ad actus supernaturales et meritorios, sed de sola subordinatione et dependentia omnis causae creatae, etiam naturalis, in agendo, a Deo omnipotente, ut prima causa et primo motore. †

3º Lib. de *Corrept. et grat.*, quem nobis opponunt adversarii, cap. 14, n. 45, de electione Davidis in regem : « Dominus omnipotens, inquit, adduxit istos ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cum voluerit reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum

1. Sic editi. At Benedictini, ex mss. melioris notae, habent *plicita*, ex verbo *plicare*.

quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio, ut caelesti constituatur in regno? » Et lib. I *contra duas Epist. Pelagianorum* cap. 20, n. 38, loquens de mutatione regis Assueri ab indignatione ad mansuetudinem, quae etiam fuit actus ordinis naturalis : « Deus, inquit, occultissima et efficacissima potestate [cor regis convertit] et transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, a voluntate laedendi ad voluntatem favendi, secundum illud Apostoli : *Deus operatur in nobis et velle.* » In his omnibus aperte sunt motiones efficaces, quarum tamen necessitatem non repetit Augustinus ex infirmitate naturae laesae, sed ex omnipotentia Dei et dependentia creaturarum ab illo, ut patet ex terminis, tum quia, ut dixi, istae electiones et actiones erant mere civiles et ordinis naturalis, ad quas imperitiosus est infirmitas naturae laesae in ordine ad actus supernaturales et meritorios. Imo ex necessitate motionis efficacis ad illos actus civiles, infert Augustinus, tamquam a minori ad majus, necessitatem hujusmodi motionis ad actus salutare, nempe ad correctionem cordis et morum, ut patet ex verbis secundi textus, quodque apertius repetit lib. de *Prædest. sanctorum*, cap. 20, n. 42, ubi defendens hanc suam illationem contra Semi-Pelagianos, dicit : « An existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum vero caeleste obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates?... Cogitate autem quale sit, ut credamus, ad constituenda regna terrena, hominum voluntates operari Deum, et ad capessendum regnum caelorum homines operari voluntates suas. » Ergo Augustinus ex omnipotentia Dei atque creaturae dependentia ab illo repetit necessitatem motionis efficacis, et in naturalibus, et in supernaturalibus.

Confirmatur 1º. Si necessitas gratiae per se efficacis repetenda sit ex sola infirmitate naturae per peccatum originale laesae, sequitur quod, ubi nulla est infirmitas ex peccato originali, nulla sit gratia efficax, sed gratia tantum versatilis. Ita docent adversarii. Atqui falsum consequens. Ergo et ant. — Prob. min. In Christo Domino nulla fuit

et in B. T. M. S.

infirmas ex peccato originali, quod non contraxit. Item in beatissima Virgine, vel non fuit peccatum originale, secundum piam opinionem¹, vel saltem, secundum omnes, fomes fuit ligatus in utero matris et plene extinctus in conceptione Christi. Atqui tamen et Christus et beatissima ejus mater, non gratia versatili tantum, sed efficaci et efficacissima fuerunt donati. Ergo. — Major est de fide, (saltem quoad Christum : quoad beatissimam Virginem temerarium foret negare) Minorem autem non puto etiam posse a quoquam negari. 1^o quia incredibile est, imo videtur implicitorium, quod auctor et Mater gratiæ, qui quovis alio efficacius et indeclinabilius a Spiritu sancto ducebantur, regebantur et movebantur in bonum, gratia efficaci caruerint, et quod in Christo non fuerit gratia Christi, quam tot annis et tot voluminibus propugnavit Augustinus. 2^o Quia sequeretur quod bona opera Christi et Matris ejus non fuerint a Deo prævisa in suo decreto, sed in ipso usu eorum liberi arbitrii, per scientiam mediam, quodque Christi prædestinatio ad unionem hypostaticam, et beatissimæ Virginis ad maternitatis Dei dignitatem, utriusque ad gloriam, non fuerit gratuita, contra expressam Augustini doctrinam, de *Prædestinat. sanctorum*, c. 15, n. 30 et 31.

Confirmatur 2^o. Si Adam, eo quod nullam pateretur rebellionem in appetitu inferiori, non indiguerit gratia efficaci ad pia opera, puta ad diligendum Deum super omnia, sed ipsi satis fuerit gratia versatilis, sequitur quod homo regeneratus Christo pariter non indigeat gratia efficaci tunc, quando nulla appetitus inferioris tentatione pulsatur, ut non raro contingit², juxta Augustinum, lib. VI *contra Julian.*, c. 19, et experientia probat. Concupiscentia enim quæ non stimulat nec tentat, non est magis impedimento ad actum virtutis, quam si non esset omnino.

1. Probatum est in tract. de *Peccatis*, hanc doctrinam fuisse definitam tamquam de fide a Pio IX, per bullam dogmaticam *Ineffabilis Deus*. — 2. Scilicet, eum actuali tentatione non pulsari.

Atqui falsum consequens, etiam secundum adversarios. Ergo et ant.

(*Solvuntur objectiones.*)

Unicum ex Augustino suæ sententiæ fundamentum petunt adversarii ex cap. 10, 11, 12 libri *de Corrupt. et Grat.* Quærentibus monachis Adrumetinis, cur Adam sit culpandus, quod non perseveraverit, si quidem non habuerit donum perseverantiæ, nec de illo posset dici quod dixerat Augustinus de hominibus in statu naturæ lapsæ, denegatum fuisse illi donum perseverantiæ propter peccatum originale,

Respondet S. Doctor, Adamum nihilominus fuisse inexcusabilem et corripiendum; quia, licet non habuerit auxilium efficacius ad perseverandum, quale datur nunc prædestinatis, habuit tamen auxilium sufficiens, quod erat permissum ejus voluntati et quocumque perseverare posset, si vellet, sicut boni angeli cum illo per liberum arbitrium perseveraverunt. Additque rationem cur auxilio efficaci, quale nunc datur, non indigeret; quia nempe ejus natura erat sana et integra, cum nostra sit infirma et vulnerata, ideoque potentiori auxilio juvanda. Hinc concludit, cap. 12, n. 34: « Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid fit... Primo itaque homini... datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur. »

Hæc est summa doctrinæ Augustini in his tribus famosis capitibus. Ex qua infert Jansenius, discrimen inter præsentem statum et statum innocentiam in eo situm esse, quod gratia propria statui innocentiam sit auxilium *sine quo non*, seu gratia sufficiens tantum et versatilis subdita libero arbitrio, nec ulla fuerit in eo necessaria gratia per se efficacius; gratia autem propria huic præsentis statui sit auxilium *quo*, seu gratia per se efficacius, propter infirmitatem naturæ, nec

ulla detur in eo sufficiens tantum. Et hoc est, ut jam monui, venenata radix et origo illius hæresis. Theologi qui dicuntur Augustiniani, idem inferunt, excepto quod agnoscant etiam pro præsentis statu gratias sufficientes.

Ad sanam hujus doctrinæ Augustini intelligentiam, observant nostri Thomistæ, non omne auxilium efficax esse ejusdem conditionis et virtutis : aliud est movens tantum et applicans potentiam ad agendum ; aliud, non solum movens et applicans, sed simul sanans et roborans. Primum dicunt necessarium fuisse et Adamo et angelis, ratione dependentiæ a Deo in agendo, non secundum ; quia natura eorum cum esset sana et integra, non indigebat auxilio medicinali et sanativo, quali indiget nunc nostra natura infirma et vulnerata, cui proinde est necessarium auxilium quod sit, non solum movens et applicans, sed etiam sanans et roborans : Augustinum vero, cum a statu naturæ innocentis excludit auxilium quo et efficax, loqui de auxilio sanante et roborante, non de adjuvante simpliciter et applicante. Quod aperte colligunt ex ejus verbis, cap. 11, n. 29, ubi ait : « Ille [Adam] non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti [sancti in hac vita], cum dicunt¹ : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum...* Ille vero nulla tali rixa de seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. » Hac autem apposita distinctione, facile explicant phrases Augustini quæ videntur alienæ a nostra sententia.

Facilius adhuc, si ulterius observes, Deum duobus modis influere in causas secundas : 1^o Per ordinariam providentiam eas movendo, secundum conditionem eorum virium, ad effectus ipsis proportionatos. 2^o Eas adjuvando modo quodam supra consuetum rerum cursum et conditionem virium, ac speciali auxilio, quo fit ut per virtutem Dei

1. Rom., VII, 23-25.

efficiant aliquid excedens vires suas, et quod nunquam ab ipsis fieret sub consueto tantum auxilio : ut cum per paucos infirmosque milites ingentem et fortem exercitum profligat ; cum mulieris, cujus gignendi facultas est infirma et impedita juxta consuetum rerum ordinem et suarum virium conditionem, vel nullam vel non nisi admodum infirmam prolem gigneret, speciali munere confert ut vegetiorem prolem, quam quævis fœcunda mulier, pariat.

Quæ fiunt ex priori influxu, secundum communem modum loquendi, non referuntur ad illum, sed ad vires activas creatas. Sic quod mulier sana et fœcunda pariat, quod miles generosus vineat hostem imbellem, quod homo sanus ambulet, loquatur, colat agros, plantet vineas, licet hæc non fiant sine generali Dei concursu, illi tamen ea non referimus, nec dicimus fieri ex Dei auxilio, sed per proprias vires naturæ. At quæ fiunt a causis secundis per virtutem aliquam specialem a Deo gratis ultra conditionem virium naturalium collatam et moventem, ea dicuntur proprie fieri per Dei auxilium, illique ut auctori proprie tribuuntur, non vero causis secundis. Ut quod Jonathas cum suo armigero tot millia hominum profligaverit, non ipsi Jonathæ nec ejus virtuti tribuitur, sed Deo adjuvanti specialiter supra communem rerum cursum atque conditionem virium naturalium. Similiter quod mulier sterilis et infœcunda speciali Dei munere pariat prolem vegetam, ut contigit in Elisabeth, matre Joannis Baptistæ, non virtuti propriæ, sed Deo tribuitur.

Hinc plana est S. Augustini doctrina de discrimine adjutoriorum status naturæ innocentis et lapsæ, etiam salva necessitate gratiæ per se efficacis in utroque statu. Natura enim innocens se habebat ut natura fortis et sana, instructa omni facultate ad bonum etiam supernaturale agendum : unde, secundum ordinarium rerum cursum et conditionem virium suarum, et bonum agere et in eo perseverare poterat ; imo effectum est ut angeli boni id præstiterint. Quod cum dicitur, non excluditur motio et directio generalis divinæ providentiæ, quæ in omni agente locum habet, ut notat S. Thomas, 1^a 2^a, tota q. 109 et alibi, et

docet Augustinus locis relatis in probationibus. Unde natura innocens cum collatis sibi viribus perinde agere ac perseverare poterat, ac mulier fœcunda et sana vegetam prolem gignere, ac miles fortis et armatus hostem ignavum et inermem vincere, et homo sanus ambulare et loqui; quamquam cum id sit, minime fiat absque Dei motione, quam nostri Thomistæ explicant per physicam præmotionem omnibus agentibus secundis in quovis statu necessariam. At homo in hoc statu, etiam per gratiam justificatus, se habet ad bonum et ad perseverantiam ut causa infirma, innumerisque impedimentis implicata: ex quo fit ut, si solum secundum consuetum cursum rerum et juxta propriæ conditionis modum ei provideretur, nemo perseveraret; et ideo iis omnibus qui perseverant, confertur per specialissimum Dei auxilium, non solum juxta consuetum modum movens et dirigens, sed etiam specialissimo modo sanans, roborans et dirigens, et, ut ita dicam, manu tenens hominem, ut, licet infirmus inter tot tentationes, perseveret per Dei virtutem.

Igitur juxta has observationes facilis est responsio ad ea quæ opponunt adversarii ex Augustino, ut videre est in priori nostro Opere.)

DISSERTATIO III

DE NECESSITATE GRATIÆ

D. Thomas, q. 109.

ARTICULUS I

Quid intelligatur nomine gratiæ?

I. Relictis variis gratiæ acceptionibus, hic sumitur generaliter pro quocumque dono seu beneficio gratis, hoc est, ex mera Dei benignitate, non ex justitia aut ex meritis nostris concesso. Sub hæ generali gratiæ acceptione omnia

dona naturalia, scilicet ipsa natura et omnes ejus potentiæ, possunt dici gratiæ; gratis enim Deus nobis contulit esse, vivere, sentire, intelligere, velle, etc. Hæc tamen, etsi isto lato sensu dicantur gratiæ, non possunt dici auxilia gratiæ, quia auxilium supponit eum qui adjuvatur et potentias activas quas adjuvat.

II. Gratiæ proprie et communi Scripturæ atque Ecclesiæ sensu accipitur pro dono gratuito, sive habituali sive actuali, naturæ superaddito.

III. Gratiæ hæc, tam habitualis quam actualis, est duplicis ordinis, naturalis scilicet et supernaturalis: naturalis, quæ movet ad bonum intra sphæram naturalium, ut si Deus infundat lumen scientiæ naturalis, aut moveat specialiter ad rerum naturalium cognitionem; supernaturalis, quæ vel habitu vel motione adjuvat ad ea quæ excedunt vires naturæ, ut dum Deus infundit habitum fidei vel charitatis, aut movet ad alterutrius actum. Inter utrumque hoc auxilium potest adhuc distingui alterum, quasi medium, quod de utroque aliquid participat, scilicet ut sit naturale quoad substantiam et supernaturale quoad modum, v. g., dum Christus cæcum natum illuminavit: modus namque operandi hunc effectum fuit supra vires naturæ, quamvis effectus, consequenter gratia, substantialiter sit intra ordinem naturæ; non enim iste visus fuit alterius rationis quam visus cæterorum hominum.

IV. Verum, quia gratia dividitur contra naturam, gratia præcise sistens in bono naturali minus proprie dicitur gratia: unde propriissime dicitur gratia, vel habitus supernaturalis infusus, ut gratia sanctificans et virtutes infusæ, vel motio supernaturalis qua nos movet Deus ut primus motor in ordine gratiæ ad actus supernaturales, vel etiam ea Dei operatio qua res naturales dirigit ad salutem nostram.

V. Gratiæ sumpta pro motione supernaturali est duplex, moralis et physica. Moralis fit per ostensionem boni, quandoque adjuncta infusione luminis ad illud percipiendum: pertinet ad causam finalem. Physica fit per influxum effective et intrinsece reducentem facultatem